



POSITIONES JURIDICÆ
DE FURTIS:

43 421.

Quas

1622, 7.

SS. Auxiliante Triade:

IN ALMA LIBERAE FOELICIS-
que Argentinae Studiorum Vni-
versitate:

Præfide

Viro Clarissimo Consultissimo

DN. GEORGIO-DAVIDE
LOCAMERO, U. J. D. ET P. P. PRÆCE-
PTORE AC PROMOTORE SUO OBSER-
vanter æternùm Co-
lendo:

*Publicè discutiendas proponit, ac pro viribus pro-
pugnare conabitur,*

IN AUDITORIO JURISCONSULTORUM
Mense Decembr.

JOH. GEORGIUS Schill / DUR-
laco-Marchicus.



ARGENTORATI,
EXCUDERAT PAULUS LEDERTZ.

ANNO M. DC. XXII.





SERENISSIMO AC
CELSISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO,
MARCHIONI BADENSI ET HACHBERGENSI,
Landgravio in Sufenberg, Comiti in Sponheim & Eberstein,
Domino in Rötlen, Badenvweiler, Lahr & Malberg, &c.

Domino suo clemen-
tissimo:

*Hoc quicquid est Exercitij Academici,
in aeternum calidissima devotionis &
subjectionis documentum, submisso pe-
ctore sacrum & dicatum statuit, & se,
suosq³ humilimè commendat*

Subjectissimus cliens

JOH. GEORG SCHILL.
A. & R.



ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.



Um quotidiana quæ sunt, pleniùs ac crebriùs per tractanda, *l. legavi, 25. ff. de Liber. Legat. l. 1. in pr. ff. de suspect. Tur.* quæque notabiliter fiunt, specialiter notanda sunt: *l. item apud 15. §. hoc editum 26. ff. de injur.* Criminum autem penè omnium communissimum sit furtum; quod ubique gentium adeò familiare, ut vix ullum inter mortales reperiatur aut frequentius aut notius, aut societati humanæ perniciosius & detestabilius: *Damhoud. in prax. crim. c. 112. n. 1.* cui coercendo nullæ hodie cruces, tormenta nulla sufficiunt; tanta in plerisque aliena habendi libido, tantum auferendi studium: *Vvesenbec. in parat. ff. de furt. n. 1.* operæ pretium facturum me ratus sum, si de crimine hoc frequentissimo certas quasdam & breves, perspicuas tamen, pro ingenioli modulo, positiones formarem, easque publico examini committerem. Id quod in præsentiarum exemplo Justiniani, Imp. nostri sacratissimi, manibus ad cælum erectis, æternoque omnipotentis auxilio invocato auspicator in Nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem multas difficultates superare valemus. *l. 2. C. de offic. Præf. præf. Affr. l. 1. pr. C. de Vet. Iur. enucle. Nov. 85. pr. præfat. Nov. 8.*

I.

Furtum (A) est Delictum privatum (B) quod fraudulentâ (C) Contrectatione (D) rei (E) alienæ (F) Corporeæ (G) & mobilis (H) vel usus ejus (I) Possessionisve (K) lucri faciendi gratia (L) committitur, lege naturali prohibitum (M.)

(a) Quod dictum est à furvo h. e. nigro *l. 1. pr. ff. de furt. §. 2. Inst. de obl. quæ ex del. nasc.* quod clam & obscure fiat, & plerunque no-

A 2

ete,

De, l. ult. C. quib. ad libert. proclam. non lic. vel à fraude; vel à ferendo & auferendo, vel à sermone Græcorum, qui φῶρας appellant fures, ἀπὸ τῶ φῶρειν h. e. ferendo: d. l. 1. in pr. de furt. d. §. 2. Inst. d. t. (b) l. infamem 7. de publ. jud. in pr. & §. 1. & ult. ff. de privat. delict. (c) nam sine fraudulenta voluntate & affectu furandi furtum non committitur §. placuit. 7. Inst. de obl. qua ex del. §. Item si is §. Inst. de usucap. l. inter omnes 46. §. rectè dictum 7. l. qui re 76. pr. ff. de furt. si quis enim credat aliquem facilè permissurum auferri res suas, is furtum non committit; ut & si quis clanculum res alienas auferret, putans easdem esse suas, omninoque ad se pertinentes, & ob hoc nihil inconcessi se patrare credens; is certè propter errorem nullo modo furtum committit, quòd nec is error, nec ea ablatio fraudulosa videri possit. §. ita tamen 1. Inst. vi bon. rapt. Damhoud. prax. crimin. III. n. 10. (d) sine contrectatione enim furtum non committitur. l. 1. l. falsus. 43. §. si quis nihil 3. l. si quis uxori 52. §. neq. verbo 19. ff. h. Neq. enim is fur est, qui conclave furti faciendi gratià intravit l. 21. §. qui furti 7. ff. de furt. sola enim & nuda cogitatio & furandi voluntas, aut scriptura aut contactus furem facere non potest, nisi actualis rei sequatur ablatio l. 1. vers. sola cogitatio ff. de furt. (e) etiam modicæ. l. 2. §. si in re 24. Vi bon. rapt. Furti enim actio pro re minima, veluti pro subtractâ gallinâ atque etiam ovo intercepto dabitur. Theoph. & Dd. comm. in §. gallinarum 16. §. si quis in 34. Inst. de R. D. l. 3. §. 1. Commod. l. vulgaris 21. h. t. c. Vulgaris dist. 1. de pœnit. l. 5. §. penult. de acq. rer. dom. arg. Nov. 63. c. 1. & §. 1. Inst. bon. rapt. ubi VVesenb. n. 4. & in Not. ad Schneidevv. d. §. gallinarum 16. & in parat. n. 10.

(f.) Cum enim quisque rei suæ moderator sit & arbiter l. 21. C. mandati. Idcirco rei suæ sive propriæ, propriè & regulariter furtum non fit, l. sed etsi 25. §. consuluit 11. ff. de hered. petit. l. rem mihi 21. pr. ff. Commodat. l. si is qui 59. l. qui injuria 53. §. fin. ff. de Furt. Quod enim quis interdum rem propriam furari dicitur, id fit metonymicè, quia ille non tam rem suam furatur, quàm jus alienum intervertit: ut cum debitor pignus surripit creditori. l. 19. §. penult. & ult. l. 66. ff. de furt. l. 36. ff. de pign. act. Vult. lib. 1. Iurispr. Rom. c. 48. n. 80. (g) l. si is qui 75. ff. de furt. Nam in corporalia, nec tangi nec contrectari possunt, l. servus 43. §. incorporales 1. ff. de acq. rer. Rom. tit. Inst. de reb. corp. & incorpor. (h) immobilis enim rei, propter sui immensitatem

423.

tem, furtum fieri non dicitur §. quod autem 7. Inst. de V. S. cap. l. 38. ff. eod. l. verum 25. ff. de furt. Unde fodiens cretam & eam auferens fur est, non quia fodit, sed quia eam abstulit l. 57. ff. eod. r. (i) Exēpl. l. qui iumenta 40. l. si pignore 54. l. fullo 82. l. inter omnes 46. §. si servus 1 ff. de furt. §. 6. Inst. de obl. qua ex del. (k) Exēpl. §. unde constat 14. in fin. Inst. d. t. l. itaq, fullo 12. §. ult. ff. de furt. (l) nec enim factum quæritur, sed causa faciendi. l. 39. ff. d. t. Maleficia siquidem voluntas & propositum delinquentis distinguit l. qui injuria 53. pr. ff. h. t. (m) §. I. Inst. de obl. qua ex del. l. probrū 42. ff. de V. S. naturā enim iniquum est, aliquē cum alterius damno & injuria locupletiozem fieri l. nam hoc 14. ff. de condict. Indeb, l. 206. ff. de R. I.

II.

Furtorum aliud est manifestum (a) aliud nec manifestum (b).

(a) Quando fur in ipso crimine, sive in loco furti, sive extra eum, cum re tamen furtiva, antè visus vel acclamatus fuerit vel deprehensus, quàm eo loci rem pertulerit, quo per ferre, & eo die manere destinaverat. §. 3. Inst. de obl. qua ex del. nasc. l. 3. cum 4 seqq. l. 15. qui opem 34. & l. seq. ff. de furt.

(b) quando fur insciis alis, rem furto surreptam in eum transfert locum, quem, ut ibi eo die maneret, elegerat, d. §. 3. Inst. de obl. qua ex del. arg. l. nec manifestum 8. ff. de furt. Quæ Ipsa distributio, utrūm & nostris moribus obtineat valdè dubito: propterea quod fur manifestus & nec manifestus eādē afficiantur pœna. Dn. Obrecht. Disp. 30. §. 16.

III.

Vtrumq, hoc furtum variè ex adjunctis & subjectis distinguitur & saepe in aliud specialius nomē transit: in Conceptum, oblatum, prohibitum, & non exhibitum (a) Diurnum (b) & nocturnum (c) Domesticum & non Domesticum (d) in tumultu (e) in Balneo (f) circa arbores furtim casas (g) vel in grege abigendo (h) commissum & c.

(a) Quæ hodiè indesuetudinem abiire §. 4. Inst. de obl. qua ex del. cum manifestum sit, quod qui furtivam rem susceperint. vel celaverint, furti nec manifesti obnoxii sint, d. §. 4. ubi Bor-

A 3

chols.

cholt. Treutl. disp. 30. §. 2. lit. a. Agell. lib. II. Noct. Att. c. 18. (b) l. 54. §. 2. ff. de furt. l. 4. §. 1. ff. ad L. aquil. (c) l. 4. §. 1. ad L. Aquil. l. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar. Bocer. Class. 4. Disp. I. §. 58. Weinsich Halsgericht Ord. art. 159. Diurnum frequentius est simplex, si aliæ circumstantiæ non concurrunt. Nocturnum ad non-simplex refertur, tum quod probabiliter fiat cum effractione, cum nocturno tempore res soleant includi, tum quod præsumatur, furem nocturnum nõ solum animo furandi sed etiam lædendi, si quis ei resisteret accedere. Hinc Lex XII. Tabb. furem nocturnum deprehensum occidere permittit: diurnum non item, nisi se telo defenderit l. 4. ff. ad L. Aquil. Cic. pro Milon. (d) illud sit Patrifamiliàs à Personis domesticis, puta libertis Servis mercenariis, &c. Quæ si leviora sunt, non puniuntur. l. perspicendum II. §. 1. ff. de pæn. l. 52. ff. de furt. Sin graviora & crebriora, vindicantur arbitrio Judicis; add. l. si libertus 89. ff. de furt. Dd. in l. apud antiquos 21. C. de furt. Cæterum aliorum domesticorum furtâ graviora, eorumque, quibus res specialiter est concredita, non modò non leviori pænâ puniri, sed etiam acerbius vindicari debent; modò sint, qui verè furtum faciunt, arg. §. Item lex Iul. peculatus. 9. Inst. de publ. iud. ubi Wesenbec. & in parat. hinc n. 8. l. si is cui 7. l. 16. C. h. t. l. homo liber. 54. §. 2. vers. ut tamen ff. de acq. rer. dom. l. II. §. 1. de pæn. arg. prov. 28. v. 24. add. Constit. Elect. 38. p. 4. cui consonat. Crim. constit. Caroli V. art. 170. Proditionis enim speciem habet, quod à Domesticis seu famulis, quibus omnia concredimus committitur: neque pestis capitalior est familiari inimico can. 1. dist. 93. l. data 27. C. de donat. Et domesticos fures quis valebit effugere, nõ eos severior pænâ, quàm alios à tanto facinore retrahat? Notandũ tamen appellatione horum domesticorum non contineri, liberos qui sunt in potestate parentũ, nec cõjuges qui parentibus vel conjugibus quid surripiunt; quoniam hi actione furti conveniri non possunt: etsi revera furtum faciant. §. hi qui in parentum. 12. de obl. que ex del. l. 1. & pass. ff. rer. amort. (f) quod gravius est, quoniam tum furandi occasio major, & res suas minus, quis eo tempore custodire potest, l. 18. C. de furt. (g) quod fit in vestimentis hominum, qui in balneo sunt aut lavant, quod ipsum ex prædicta causâ est gravius, Vult. lib. 1. Iurisp. Rom. c. 48. (h) cum quis arbores alienas clam ceciderit,

474.

rit, seu fecuerit, sive in usus suos eas converterit, sive non, *t. t. Arb. furtim cas.* cædit autem non tantum, si totam arborem crebris ictibus exciderit, sed etiam ex parte tantum, h. e. si vulneraverit etiam *l. cadere. §. ff. eod. (i)* quod furtum ideo gravius, quia exercetur plerunque cum latrocinio *l. 2. ff. de Abig.* plerunque autem abigeatus est in grege, potest tamen esse & in una pecude, si sapius licet semper unum vel alterum abegerit *l. ult. §. penult. d. t.* æstimatur enim ex animo abigendi, *l. 1. §. 1. d. t.* & pœnã gladii etiam de Jure civili habere potest *d. l. 1. pr. eum* plenius h. e. acrius puniendum puto, qui de stabulo pecus abegit *l. ult. §. eum quoque 1. d. t. arg. l. 1. §. 1. de Effract.* *Coll. Jurid. Arg. lib. 47. tit. 14. th. 4. Treutl. vol. 2. Disp. 30. th. 2. lit. g. Diss. Cujac. 6. obs. 8. qui leg. tlenius, & Dn. Gothof in not. marg. ad h. t. Plures Furtorum divisiones videre est, in Coll. Jurid. Arg. lib. 47. tit. 2. th. 3. & seqq.*

I V.

Efficiens Furti causa est fraudulosa voluntas & contractatio (a) Materiares aliena corporea & mobilis (b) Forma consistit in ipsa contractatione (c) Finis est lucrum. (d)

(a) *l. 22. pr. §. 1. l. 90. §. 1. h. l. § 2 §. 19. l. 60. l. 82. in pr. h. t. l. 20. C. h. t.* Impulsiva & προκαταφευτική est ipsa indigentia, quæ plerunque innaviam & luxuriam sequitur. Deinde oportunitas temporis, loci, rerum, spes lucri & occultationis *Wesensbec. parat. h. t. n. 9.* (b) vide *supr. des. prim* non autem dicitur res aliena, quæ nullius in bonis est. rerum enim hæreditariarum Juris subtilitate furtum non fit, *l. hæreditaria. 68. h. t.* Ut nec derelictarum *l. falsus. 43. §. qui alienum h. t. nec inventarum*, modò inventor inventionem indicaverit. *l. 43. §. 4. h. vel si res perdita proclametur, sciens non celet Wesensbec. in parat. ff. h. t. n. 10.* (c) sine qua furtum fieri non potest, *l. 3. §. 18. ff. de acq. vel amitt. poss.* Quæ vel vera est, quando res aufertur, vel in alium usum, quam in quem commodata est, transfertur, aut abducitur. *§. furtum 6. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. l. si quis uxori 52. §. si quis a finum 20. ff. de furt. l. alien. 6. C. de furt.* Vel ficta, quæ effectu considerato etiam pro verâ habetur, *Wesensb. h. n. II.* Unde furti tenetur, si falsus procurator aut alius quilibet in officio fraudulenter versetur, *l. 43. §. 1. & 2. ff. de furt.* Item qui rem alienam furandi animo intercipit: veluti tutor & curator *l. 33. ff. de furt. l. 2. ff. de Tutel. & rat. distrab*

distrah. Nec non nuncius qui pecuniam sibi creditam consumpsit: *arg. l. 22. ff. Commod. l. 22. §. si mandaverim ff. mand.* Quibus tamen casibus duobus posterioribus poenam furti capitalem non irrogari receptius est *Wesenb. in parat. ff. de furt. n. 11.* Sic furti etiam reus est, cujus ope & consilio furtum est factum §. 11. *Inst. h. t. l. 34. l. 50. §. ope l. 52. pr. ff. de furt.* Ut tamen eadem cum fure poena afficiatur, is qui opem consiliumque tulit, requirimus ut in ipso actu furandi ad fuerit, operamve tulerit. *Wesenb. in parat. h. n. 11. Hottom. quest. illustr. 33. (d) nam sine intentione lucrandi, furtum non fit, vide supr. in explic. definit. lit. C.*

V.

Effectus furti in actionibus (a) & poenis (b) quae inde existunt vertitur.

(a) Competētibus ei cujus interest (ex causâ tamen I. honesta *l. 11. ff. de furt. adde l. 12. §. 1. l. 14. §. 2. & seq. ff. eod.* II. ratione damni dati *l. 71. in fin. ff. d. t.* III. Ratione Juris realis; rei enim solùm promissæ aut debitæ nulla habetur ratio, *l. 85. vers. Item is. ff. d. t.*) rem salvam esse, licet dominus non sit §. *furt. 13. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. l. 10. & seq. ff. de furt. l. ult. pr. C. eod.* Ut I. Creditori §. 14. *Inst. d. t. l. 15. pr. & l. 87. ff. de furt.* II. Fulloni aut sarcinatori, cui vestimenta polienda vel sarcienda, certâ mercede datâ, furto surrepta sunt, §. *Item si fullo 15. Inst. de obl. quæ ex del. l. itaq. 12. l. 90. ff. de furt. modò solvendo* (qualis putatur hoc loco, qui in solidum solvere potest. *l. solvendo 114. ff. de V. S.*) *sint d. §. 15. in fin.* III. Bonæ fidei emptori *d. §. 15.* IV. Commodatario, qui commodanti, rem commodatam surreptam non ignoranti, commodati actione conventus satis fecit. §. 16. *Inst. de obl. quæ ex del. l. ult. C. de furt.* V. Colono *l. 14. §. 2. l. 82. §. 1. ff. de furt.* VI. Usufructuario. *l. 46. §. 1. d. t.* VII. Nuncio *d. l. 14. §. 17.* Adversus eum. I. Qui rem alienam contrectat & surripit. II. Qui vel opem (ministerium atque adjutorium *l. in furti actione 50. §. 3. ff. de furt.*) vel consilium (persuadet & impellit atque instruit consilio *d. l. 50. §. 3. d. t.*) auferenti dolo malo præstat §. *interdum quoque 11. Inst. de obl. quæ ex del.* Unumquodque enim horum separatim factum ad furti actionem sufficit *l. sapè 53. ff. de V. S.* Quâvis nemo videatur opem tulisse, nisi qui & consilium malignum habue-

425.

habuerit, arg. l. fugitivus 225. ff. d. t. Consilium tamen effectum sorti-
ri debet l. si quis uxori 52. §. neque verbo 19. ff. de furt. Furtum enim nō
verbis sed facto committitur d. l. 52. §. 19. In gravioribus quanquam
aliās interdum voluntas spectetur non exitus l. 14. ff. ad L. Corn. de
Sicar. III. Datur etiam contra impuberem aut pupillum puber-
tati proximum, cum hic intelligat se delinquere. §. 18. Inst. h. l. 23. 24.
h. l. III. de R. I. A Gell. II. Noct. Attic. 18. fac. l. 14. ad S. C. Sill. l. I. C. si advers.
delict. P. H. D. art. 164. ætatis tamen miseratio ad mediocrem
pœnam Judicem interdum producit l. 37. §. I. v. in delictis de Minor. l.
108. de R. I. IV. Et non solum contra furem Dominus agere po-
terit furti, qui rem Ipsi furto abstulit, sed & in illum, qui furi rem
furtivam rursus surripuit, ita ut si cum altero furti actio inchoetur,
adversus alterum nihilo minus ea duret l. 76. §. I. h. t. (b) Pœnam,
quæ Jure Justiniano vel ordinaria vel extraordinaria, Ordinaria
furti manifesti est quadruplum nec manifesti duplum §. Inst. de obl.
quæ ex del. §. in duplum 23. §. quadrupli 25. Inst. de act. Quare autem
durior in manifesto furto pœna statuatur, cum gravius videatur
delinquere, qui clam, quam qui palam facinus aliquod perpetrat.
l. non existimo 54. ff. de administ. Tut. ratio forsan erit, quod ea quæ
naturâ suâ sunt turpia, majore turpitudine palam committantur,
ut exemplo est scortum publicum. fac. l. 2. §. si in re ff. de vi bon. rapt.
Schneidevv. lib. 4. Inst. §. fin. n. 4. de obl. quæ ex de l. nasc. Extraordina-
ria, de quâ in l. fin. ff. de furt. quæ tamen ad mortem extendi non
poterat Nov. 134. c. 13. vers. pro furto. Hodiernis verò moribus non
tâm constitutione Friderici lib. 2. Feud. tit. de pace tenenda 27. §. ult.
(quæ vult, ut si quis quinque solidos valens aut plus fuerit furatus,
laqueo suspendatur, sin minus scopis & forcipe excorietur & tun-
datur) quàm Jure Saxonico art. 13. lib. 2. den Dieb soll man hengen/
& recentiori sanctione Caroli V. art. 157. Fur ultimo supplicio af-
ficitur, frequentia enim furtorum testatur istis novissimis ac de-
terrims temporibus levi animadversione hæc delicta coerceri nō
posse, fures etiam non minus societatem humanam violare, quàm
homicidas & adulteros. Unde cum in morbis periculosis & ma-
gnis, remedia periculosa & extrema sint adhibenda Hippocr. Apho-
rism 6. lib. 1. ita adversus ferociores, pœnæ duriores gravioreſque

B

decer-

decernendæ erant l. 16. §. *fn. ff. de pæn.* malo enim nodo malus est
quærendus cuneus. Non tamen ob unicum simplex furtum mor-
tis pœna imponi debet, quia id ex jure Justiniano nunquam fuit
capitale t. t. *ff. de furt. Auth. sed novo iure C. de servo fugitiv. Nov. 134. c.*
ult. Idque Carolinâ constitutione art. 160. correctum non apparet
arg. l. precipimus C. de appellat. nisi sint fures incendiarii, qui etiam
pro primo furto suspenduntur, vel si exiguum sit furtum primum,
in loco verò adeo insigni commissum. *Coll. Iurid. Arg. lib. 47. tit. 2.*
th. 24.

VI.

*A Crucis autem pœnâ liberat Furtum extrema ne-
cessitatis tempore commissum (a) Non autem liberatur, si
fur rupto laqueo de patibulo incolumis ceciderit (b) aut à
puella vel meretrice in matrimonium petatur. (c)*

(a) æquitatis enim ratio suadet, constitutionem illam de
furto atroci & fraudulenter commissio, non de esculentis necessita-
tis causâ ablati accipiendam esse. Necessitatis enim & famis tem-
pore omnia sunt communia l. 2. §. 2. *ff. ad L. Rhod. de jact. c. sicut ij 47.*
dist. Fac. c. si quis 3. ubi Dd. extr. h. t. c. discipulos dist. 5. de consecrat. Prov.
G. v. 30. arg. l. fin. C. de Patr. qui Fil. distr. P. H. D. art. 166. l. si quis 49.
§. 1. ad L. Aquil. Quod si tamen ad pinguiorem fortunam pervenerit
ejusmodi surreptor, ad pretii refusionem compellitur *Treutl. vol.*
2. Disp. 30. th. 3. lit. h. Coll. Iurid. Arg. lib. 47. tit. 2. th. 23. ubi plures fur-
torum species recensentur, in quibus mitior pœna esse solet (b)
P. H. D. art. 162 ubi vnd soll der Mann mit dem Strang vom Le-
ben zum Tod gericht werden. Judicium enim sententia realiter exe-
cutioni mandari debet *arg. l. servus 10. C. de pæn. l. acta 45. §. 1. l. judex*
55. ff. de re jud. Licet autem non facile præsumendum sit, fieri mira-
culosè, quod potest habere naturalem rationem. Solet tamen hic
casus interdum innocentiam denotare, cujus rei exemplum habet
Guil. Paradin en l' hystoire de lyon 7. c. 17. vid. Dn. Besold. lib. 2. Polit. c.
2. th. 19. n. 2. (c) interest enim Reip. ne delicta maneant impunita l. i-
ta vulneratus 51. §. ult. vers. ejusdem ergo ff. ad L. Aquil. l. stichum 95. §. 1.
vers. sanè ff. de Solut. & liberat. Item pœnam non facile remitti, ne ad
maleficia temerè quis quam profiliat l. si operis 14. C. de pæn. In Hi-
spania

Spania quidem ex antiquo Gothorum scitu hoc admitti solere, passimque alibi receptum esse, notat Busius & damnat ad l. 26. §. fin. n. 3. ff. ex quib. causis major. Et rectè. Non enim exemplis sed legibus judicandum l. 13. C. de sentent. & inter locut. Multitudo etiã errantium errori patrociniū haud parit; quia spectandum non quid fiat sed quid fieri debeat l. 12. ff. de offic. Præs.

VII.

Fur autem cum rebus subtractis inventus regulariter ad delicti locum remitti (a) & res subtracta non sisco sed Domino restitui debet (b)

(a) arg. l. si cui crimen 7. §. ult. ff. de accusat. Nov. 134. c. 5. Ex consuetudine tamen Germaniæ aliarumque quarundam regionum in loco captivitatis delinquentes forum & Judicem sortiuntur, suppliciaque subeunt Wesenb. ff. de furt. n. 15. die vberschiebung der Gefangenen hat nit statt. Gail. lib. 1. de P. P. c. 16. n. 30. nisi fortè indelictis atrocioribus: ubi precario & jure amicitiae & vicinitatis, auff einen revers oder gegenbekandtnuß / hujusmodi remissionem remittentis Jurisdictioni nocumento futuram non esse, remittuntur ad locum delicti Gail. dicto loc. (b) utpote qui nihil admisit, ob quod re suã privari debeat l. interdum 56. §. 1. ff. de furt. l. crimen 26. ff. de pœn. l. 22. C. eod. arg. l. si captivus 20. ff. de captiv. & postlim. revers. Præberet etiam hæc res occasionem peccandi, fures enim suos iniqui Magistratus in furcam raperent, ut & ipsi furum fures liberi dimitterentur Damhoud. prax. crim. c. 112. n. 52. Quid quod contra naturam sit, alium cum injuria & damno nostro locupletari l. 14. ff. de condict. indeb. c. locupletari 48. extr. de R. I. in 6. P. H. D. Caroli V. art. 207. & seq. Quo & facit Reichs Abschied zu Augspurg de anno 1559. §. vnd nach dem.

VIII.

Tandem Cadavera punitorum terra potius mandanda, quàm in patibulo relinquenda erunt. (a) Et Medicis tamè ad anatomiam concedi possunt. (b) non etiam propria auctoritate.

(a) Humanum enim est, ut corpora suspensorum sepeliantur, non in aëre corrumpantur. Wesenbec. in parat. ff. de cadav. punitorum

tor. Sanè enim & mare sequitur ordinem naturæ & submersorum
cadavera ejicit ad litus *speckhan cent. 1. quest. 9.* & ipse Deus post So-
lis occasum suspensos cruce tolli & sepeliri vult. *Deut. 21. v. 23.*
4. Reg. 9. v. 34. Secundum tamen Germaniæ consuetudinem suspeso-
rum & rotæ impositorum cadavera non sepeliuntur, sed ad exem-
plum & formidinem in rotâ vel furca relinqui solent, *arg. l. 28. §. 15.*
ff. de pœn. Quam consuetudinem tolerabilem magis, quàm rationa-
bilem existimat *Heig. 2. quest. 37. n. 18. & seqq. (b)* Quia medicus salu-
tis hominum curam agere debet *l. 1. §. 1. ff. de extraord. cognit.* Ita ut
si quid per imperitiam commisit, id ei imputari debeat *l. 6. §. 7. de*
offic. Præs. l. 8. ff. ad L. Aquil. Imperitia autem illa melius corrigi non
potest, quàm si medicus cognoverit internam corporis humani
compagem eamque propriis oculis in spexerit. Et hoc jus, consue-
tudo diuturna jam approbavit, quæ non immeritò pro Jure obser-
vatur per *l. 33. ff. de ll. l. 12. ff. Qui & à quibus manum.* ceterum qui pri-
vatâ temeritate punitorum cadavera de cruce vel rotâ tollit, aut a-
lio modo violat, ut puta qui suspeso cadaveri digitos abscindit ad
usum furti, incantationis, &c. pro gravitate delicti severius vel mi-
tius punietur. *Wesenb. in parat. ff. de Cadav. punit. circa fin.*

*Et tantum de furtorum materiâ breviter pro institu-
tione & ingenij tenuitate publici
exercitij gratiâ proposuisse
sufficiat.*

DEO UNI ET TRINO SIT HONOS
ÆTERNUM DEVOTIS-
simus.

E I N I S.

Strapberg, Dr. ss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



1017







B.I.G.

Farbkarte #13

RIDICÆ

RTIS:

43 421.⁵⁶

1622,7

riade:

E FOELICIS-
iorum Vni-

sultissimo

-DAVIDE

ET P. P. PRÆCE.

SUO OBSER-
Co-

ic pro viribus pro-
ur,

CONSULTORUM

br.

Schill / DUR-
us.

RATI,

IS LEDERTZ.

C. XXII.

